

Systematis a Salvio missus in Belgium, periit in itinere. Nunc sudat 3ius tomus, qui agit de Lapidibus.

Nihil novi in Suecia. D^r Hagström per plures annos meo suasu instituit experimenta cum Apibus, e quibus floribus mel aut ceram colligunt, et e quibus non. hunc tractatum dedit Soc. Reg. scient. Holmensi quæ cum edat suecice.³

Si potero obtinere ova Papil. Apollinis capiam et mittam.

Non scio me accepisse literas a Ven. Tuo parente ad quas non regessi; tempore vernali præcedentis anni morbis misere ad Lectum detentus fui per aliquot menses; forte tum periere.

Salutes D. Balguerie et dicas me hodie scripsisse ad S. Regi-
nam et quævisse num acceperat, quæ notavit, omnia.⁴ Respon-
sum brevi habebō ut spero.

Dum scribis oro dicas mihi ut valeat venerandus Parens
Tuus, quem cultu omni dum vivo prosequor.

Accepi absque literis Pallas dissertationes, nesciebam a quo;
cum jam scio me eas a Te obtinuisse summas gratiarum actio-
nes refero.

vale et dicas qua in statione constitutus sis.

Upsaliæ 1768 d. 7 Maji

Post 6^{ti} tomi Amoenitatum mearum editionem sequentes
dissertatiunculæ prodire.

Rariora Norwegiæ

Fundamenta Ornithologiæ

Metamorphosis humana

Mundus invisibilis

Usus Muscorum

Siren Lacertina

Usus hist. nat. in vita communi

Necessitas hist. nat. in Russia

Purgantia indigena

Hortus culinaris

Hirudines

Fundamenta Agrostographiæ.

Menthæ usus.

Oprobalsamum declaratum. (Amyris).

Lepra (a Gordio)